

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2347

Auteur(s) : Robert le Magnifique, Normandie (duc)

Bénéficiaire(s) : Rouen, Saint-Amand (abbaye)

Genre d'acte : diplôme

Authenticité : faux

Datation : ...1030...

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Robert, duc de Normandie, confirme la fondation de l'abbaye de Saint-Amand par le vicomte Goscelin et sa femme Emmeline et il approuve les donations faites au nouveau monastère par ses fondateurs.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Le Cacheux Marie-Josèphe, *Histoire de l'Abbaye Saint-Amand de Rouen, des origines à la fin du XVI^e siècle*, Caen, Société d'impression de Basse-Normandie (BSAN ; 64), 1937, n° I, p. 242-243.
- b. Fauroux Marie, *Recueil des actes des ducs de Normandie de 911 à 1066*, Caen, Caron (MSAN ; 36), 1961, n° 62, p. 187-189.

Texte établi d'après a

...In nomine sancte et individue Trinitatis. Rodbertus, divina ordinante Providencia, Normannorum dux et rector. Si fidelium nostrorum petcionibus nos prebemus exorabiles, maxime in his in quibus ecclesie Christi et loca sanctorum indigent nostri regiminis functione juvari et illorum animos in nostra fidelitate solidamus et, quod majus est, Deo nos gracieores et in principatu nostro perdurabiles fore confidimus. Quicquid enim in usus neccessarios ecclesiis Christi et cultibus divinis dependimus, videlicet aut donativa conferendo aut donata principalibus edictis confirmando, confirmata sollicite regendo, ad animarum non solum remedium sed et temporalis regni statum et patrie salutem proficere credimus. Proinde notum esse cunctis regni nostri fidelibus tam presentibus quam futuris volumus qualiter, ad suggestum quorundam fidelium nostrorum Goscelini videlicet vicecomitis et Emmeline uxoris ejus, locum nostre serenitatis [infra] muros Rothomagi dono concessum, in quo ipsi ex proprio censu in honorem et venerationem sancte Dei genitricis et gloriose virginis Marie et sancti Amandi, gloriosissimi confessoris, omniumque simul sanctorum ecclesiam fundarunt, hunc immunem juris nostri judicaria exactione reddentes et ecclesiasticis usibus mancipantes, in perpetuum concedimus. Qui locus circa ecclesiam extenditur usque ad vicum per quem ad portam Rodobecce itur et inde usque ad terram Willerme de Tornebu, iterum ab ista usque ad terram Radulfi de Warennna, inde vero usque ad murum civitatis, cuius rei signum est altera pars nostre elemosine que huic conjuncta in altera parte muri sita est. Hec sunt itaque res quas donant sancte Marie sanctoque Amundo memorati fideles : in foro Rothomagi unam aream ; deinde molendinum in Rainelminilla, et unum cellarium juxta pontem Sequane positum, in loco qui dicitur Poteria, prata quoque sua que sunt apud Ceville, et terram cultam cum silva que est juxta vallem Ercembaldi, et, in monte qui dicitur Cocerel, v. acras terre, et illam silvam quam habent inter aquas scilicet Guarennam et Sedam, cum terra culta que pertinet ad illam, et totum dominium quod hactenus tenuerunt in Maneholtvilla, cum ecclesia et molendino, et quicquid habent in Montvilla preter ecclesiam, et in Esletis et in Freschenis et in Cardonville similiter et villa que Spinetum vocatur, cum hiis que pertinent ad illam, videlicet cum

terra unius carruce et toloneo. Donant eciam terram et silvam quam in Malalneit tenent et terram vinee sue que vocatur Poceron juxta Rothomagum, cum ea que ad illum pertinet....